

trina est. « Repleti, inquit, sumus despectione ». Hoc est quod docere nos voluit, quia etsi pro peccatorum nostrorum multitudi-
 85 ne repleti sumus despectione atque opprobriis adoperti sumus, oculi tamen nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nobis. Nec prius ab obsecratione cessemus quam impetrare peccatorum veniam mereamur. Hoc enim vere est constantis animae
 90 et pertinacis, ut nequaquam repellatur a perseverantia deposcendi desperatione impetrandi, sed perseveret ac persistat in obsecrationibus donec misereatur nobis. Et ne forte arbitreris te offensam magis contrahere apud Deum, si cum non merearis audiri importunus persistas in precibus,
 95 recordare evangelii parabolam et ibi invenies quod perseverantes et importunos precatores Dominus non sibi ostendit ingratos. Ait enim quia « etsi non dabit ei propter quod amicus est, propter importunitatem tamen eius surget et dabit ei quantum opus habet. »

2. Intellege ergo, carissime, quia propterea diabolus desperationem subicit impetrandi ut spem nobis Dei bonitatis abscidat, quae est salutis nostrae ancora, vitae nostrae fundamentum, dux itineris quo itur ad caelum.
 5 Denique Apostolus dicit : « Spe enim salvi facti sumus. » Spes ergo est in qua salus nostra consistit et quae de terris animas velut quibusdam catenis caelitus dependentibus innexas evehit ad superna et revocat ad sedes caelestes eos qui sibi vehementius inhaerent celsioresque eos vitae
 10 huius ac terrenorum malorum turbinibus reddit. Si quis ergo inter haec positus resolvatur animis et salutaris spei